

jasetem eo quidem maxime tempore mentem atque animum ad Cyprum insulam adjecisse , eo quo celerius posset contendere jusserunt . Is mense aprilii conscendens , Corcyram , deinde una cum Cosma Pascalico legato Methonem adnavigavit : quem subsecutus Nicolaus Capellus item legatus , auxit earum , que Methone erant , longarum navium numerum : quibus cum navibus præfectus (erant autem triremes vigintiquinque , minora navigia longa plus minus decem) die quinto Cyprum attigit . Ea intellecta re , Turcarum classis omnis generis longarum navium , cum a Cypro non longe abesset , mare Ifficum prætervecta , sine ullo usu in Hellespontum rediit .

Auxerat Cypriam patribus curam , quod intelligebant Ferdinandum regem Neapolis , in Federici filii sui nuptias regina pellecta , occupandæ insulæ occasionem quærere . Ea erat Catherina Venetiis oriunda e gente Corneliorum clara atque illustri , quam Marcus Cornelius pater Jacobo Lusiniano regi Cyprio in matrimonium collocaverat , numerata regi pecunia dotis nomine auri ad libras mille . Eam rex brevi tempore profluvio ventris sublatus prægnantem reliquit , scriptis tabulis , quibus illam regni hæredem nascitura cum sobole instituerat sub Veneti Senatus tutela : quo a Senatu Corneliam , tanquam reipublicæ filiam , publica interposita fide accepta , uxorem duxerat . Itaque post mortem patris natus filius anno vertente natali suo diem cum obiisset , novasque res nonnulli eo in regno principes molirentur , classe ad insulam celebriter missa cum legatis , & Cornelio patre , qui reginæ assiderent , eos Senatus facile tumultus compressit . Tranquillitate insulæ restituta , mulier vidua auctoritate reipublicæ quindecim jam annos post viri mortem pacate regnum obtinuerat , cum per internuncios Ritiū Mariū Neapolitanū , qui regi Cyprio perfamiliaris fuerat , & Tristanū Cibeletū Cyprium , cui erat soror e reginæ famulis , Ferdinandus rex clam eas , quas dixi , nuptias procurabat . Ii cum a Rege missi in insulam descendissent , a præfecto classis capti , atque in vincula con-
jedti

Catharina
Cornelia
Cypri regi-
na .